



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

293. An valida sit & licita electio extranei, seu qui non est de gremio Capituli vel conventuis, aut respective de civitate, diœcesi, Provincia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

sonam electam, utpote quibus talis Superior potest non moveri, & aliunde etiam nullis opponentibus contra personam, ex rationabili causa cassare electionem, tunc inquam praesumi debet electio cassata ex defectu electionis, vel ex motivo non concernente delictum, nisi aliud probetur, Pass. n. 641. qui tamen etiam n. seq. ait, quod in suo Ordine, ubi Provinciales procedentes extrajudicialiter, & ex arbitrio boni viri cassant electiones nullam additam causam; cum saepe non expediat, ut explicant, se cassare electionem vitio personae, utpote quod judicialiter probatum non est, nisi Provincialis expressè dicat se cassare electionem ex vitio non servata forma, vel rehabilitet Electum, non debeant electores eundem amplius eligere, absque eo tamen, quod per hoc repulsus maneat infamatus; cum esse potuerit, ut cassata sit electio ex conditione personae eum non infamante.

*Questio 292. An electio cassata vitio electionis noceat electo?*

**R**espondeo negativè: ita expressè *cir. e. super eo*. Excipitur tamen hic unicus casus, dum electio celebrata est in discordia, Electoribus habentibus plures electiones, quibusdam unum, aliis alium eligentibus; cassatis enim illis electionibus, uterque electus pro illa vice, & in ista Ecclesia tantum est ineligibilis, uti & licite inconfirmabilis (ita tamen, ut, si dein alter eorum eligeretur, electio non esset ipso jure irrita, & si confirmaretur, confirmatio esset valida, Pass. n. 645.) ob vitandum scandalum & discordiam, *c. super eo*, & *c. consideravimus. de elect.* ibidem Abb. n. 1. Burrio n. 9. Sigisf. à Bon. *dub. 96. n. 4.* nisi dein unus eorum unanimiter eligeretur; cessat enim tunc causa prohibitionis, *c. cum cessante. de appel. & l. generaliter. de sacrosanctis Eccl.*

2. Addendus tamen & alter casus, dum nimirum electio vel promotio irrita vel cassata fuit, non ob aliud vitium personae, sed ob intercedentem simoniam, ita ut vel hoc ipso electus vel promotus reddatur incapax illius, & etiam alterius beneficii, *c. super eo. de elect.* Laym. *ibid. n. 1.* idque etiam, licet simonia intervenerit, electo aut proviso ignorante, adeoque sine culpa illius, praeterquam si accedat dispensatio, Laym. *ibid. n. 3.* citans *c. 1. causa. l. 95. c. nobis. de simon. c. penult. de electione. & seipsum Theol. mor. l. 4. r. 10. c. ult. §. 7. n. 73.*

*Questio 293. Num valida sit, & licita electio extranei, seu qui non est de gremio Capituli, vel conventus, aut respectivè de civitate, diocesi, provincia?*

**R**espondeo ad primum: per se & de jure communi, si aliud non obstat, valida est, & confirmanda electio extranei facta à majori parte, *c. cum inter. h. t. ibidem gl. Barb. n. 2. & 6. Innoc. n. 2. c. cum nobis. c. in causis. de elect.* D. Th. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 4. Felin. in *c. sicut tuus. de simon.* Garc. *de benef. p. 7. c. 9. n. 5.* Pass. *cit. c. 25. n. 649.* secus est, ubi speciale statutum, vel consuetudo habet, ut electio extranei sit ipso facto irrita, vel etiam ad instantiam alicujus cassanda; sine dubio enim tunc talis electio irrita erit, aut irritanda, Pass. *loc. cit.* nisi fortè ex eo, quod statutum tale, vel consuetudo ordinetur in utilitatem, & favorem eorum, qui sunt de gremio, hi huic juri suo renunciare possunt, eodem statuto vel consuetudine id non prohibente; tunc enim eligendo extraneum, huic juri & favori suo renunciare cen-

sentur, proindeque talis electio tenet, Abb. *ad c. nò pro defectu. de elect. cit.* à Pass. aut etiam, nisi in tali lege vel consuetudine dispensatum fuerit, quod posse inferiorem Papam, si auctoritate Apostolica firmata non sit, & vel maximè Capitula generalia regularium, utpote quibus, uti competit ferre leges, & lras, aut etiam consuetudines abrogare, ita etiam in iisdem dispensare docet Pass. n. 656. contra Sigisf. *loc. cit. n. 4.* Rebuff. in *praxi. r. de dispens. cum regul.*

2. Respondeo ad secundum: ceteris paribus, putata, scientià, prudentià, experientià regendi, bonitate morum, aliisque, quae ad officia Ecclesiastica necessaria sunt, etsi non sit injustitia, eligere extraneum, aut ei conferre beneficium praeter intractum, minus tamen decens & honestum est; sed quod, qui de gremio, vel diocesi, utpote magis notus, adeoque talis, de cujus idoneitate securius cognosci potest, Abb. in *c. scriptum. de elect. Armil. v. electio. n. 22.* (ubi illud incidenter notandum ex Sigisf. de Bononia, *loc. cit. n. 3.* Pass. n. 651. tutius eligi dignum, de cujus idoneitate, & dignitate certò constat, quam digniorem, de cujus majore dignitate habetur solum probabilitas) meliusque noscens suos, & regulariter magis diligens Ecclesiam & communitatem, cujus jam ante membrum erat, quam extraneus, feliciterque gubernaturus, bonumque Ecclesiae impensius curaturus, & facilius ad residentiam inducendus rectè praesumatur, *c. nec emeritis. c. nullis in vitis. dist. 61. D. Th. loc. cit.* Abb. in *c. bone. 4. de postul. n. 16.* Pass. n. 650. & 652. Atque ita haec conditio; esse de gremio, vel esse ejusdem diocesis, ad hoc, ut hinc praefertur quis alteri non nudè secundum se consideranda est; sed quatenus ex ea speratur major utilitas Ecclesiae, cui providendum est; vel etiam spectatur majus quoddam illius meritum, ortum ex eo, quod Ecclesiae isti jam deserviverit, laborisque pro ea perpressus sit, Pass. n. 653, ubi etiam ait, dictam majorem honestatem locum quidem etiam habere in regulis, si loquamur de extraneo respectu conventus vel provinciae (nam à tota religione extraneus est ineligibilis ad illius praelaturas) solum cum proportionem aliquam; cum alias qui eandem religionem profitentur, licet in distantissimis provinciis & Conventibus habitent, constituant velut unam diocesim, & vivant quasi sub uno Episcopo, majore unione specialium legum, quam clerici alii diversarum diocesium inter se conjuncti.

*Questio 294. An Superior, ad quem vel jure ordinario, vel ex devolutione pertinet conferre beneficium, vel prelaturam, possit illam conferre extraneo?*

**R**espondeo primò: licet beneficia conferre originariis & filiis patrimonialibus, tam ab Ordinario quam Papam, honestissimè sit & aequissimum, concernatque id ipsum bonum publicum, Lott. l. 2. q. 39. n. 26. de quo vide etiam Card. de Luca. *de benef. d. 69. n. 12.* & Corrad. l. 2. c. 10. n. 38. 41. 43. quantum est de se & de jure communi, omnibus aliis habilibus undecunque sint, beneficia conferri possunt, *c. ad decorem. de institut. & gl. ibi v. undecunque. & Abb. n. 4. Castrop. de benef. d. 4. p. 9. n. 1.*

Respondeo secundò: ubi adest lex (quales tamen leges, & quilibet alia statuta saecularia, ut effectum habeant, debent à Papa approbari; alias enim eorum dispositio non tenet, utpote in materia Ecclesiastica, & contraria juris communis dispositioni, Castrop. *loc. c.*) vel consuetudo id prohibens, Super-